



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

207. An saltem fieri possit postulatio sub hac forma: eligo, & postulo, prout meliùs de jure valere potest; dum dubitatur, an quis sit eligendus, an postulandus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

PARAGRAPHVS II.

De modo seu forma faciendæ & publicandæ postulationis, & de consensu postulati.

Questio 204. An, & qualiter postulatio faciendâ dependeat ab electione?

Respondeo: postulatio solennis nullatenus pendet ab electione; cum, ut dictum, sit modus distinctus providendi ab electione; unde etiam in libitu cuiusque collegii seu capituli habentis potestatem eligendi, hoc ipso est, uti electio, vel hæc relicta uti postulatione ad providendum Ecclesiæ suæ de pralato: Pass. de elect. c. 24. n. 5. quin & non nisi ex speciali privilegio (quale suo Ordini competere testatur Pass.) potest Capitulum simul cum electione unius habere postulationem alterius personæ, utpote quod aliis juri communi contrarium est. Pass. loc. cit.

Questio 205. An forma eligendi per scrutinium præscripta in c. quia propter, de elect. servanda quoque sit in postulatione solenni?

Respondeo negativè. Pass. loc. cit. n. 9. Pirh. ad cit. de postul. n. 31. Laym. in c. unic. h. t. in 6. citantes Host. in Sum. de postul. n. 10. Sylv. v. postul. n. 2. S. Anton. p. 3. tit. 19. c. 3. §. 1. Gemin. in c. unic. h. t. in 6. n. 9. & c. contra Abb. in c. quia propter. n. 9. Innoc. in c. in causis. de elect. n. 1. Tabien. v. electio. n. 19. & v. postulatio. num. 1. & 5. item contra Laym. in qq. can. quorum sententiam, et si magis tutam, minus tamen probabilem censent Laym. Pirh. Pass. ll. cit. Ratio responsionis est, quod in cit. cap. quia propter. folius electionis fiat mentio, nec obiter quod iura antiqua interdum, ut dictum, promiscuè utantur vocibus: electio, postulatio: aut quod in jure hæc duo æquiparentur, admissioque postulationis & confirmatio electionis eandem vim obtineant; dum enim etiam in jure quod ad plurima non æquiparentur, sed maxime differunt, ut constat ex dictis paulò suprâ, necesse quoque non est, ut quod ad solennitates omnes juris pari modo se habeant, ubi iura id non exprimunt; quin & cum per electionem majus potentiusque jus acquiratur electo; quam per postulationem postulato, istaque hæc sit firmior, dum etiam eligentes resiliere nequeunt ab electione, uti postulantes possunt à postulatione, antequam hæc præsentata est Superiori: ac denique illa juri, hæc innitatur gratia, mirum non est, quod ad istam major, quam ad hanc forma solennitatis requiratur. Laym. in c. unic. h. t. in 6. n. 5.

2. Quod verò apud regulares postulatio fieri nequeat per publica suffragia, est propter speciale decretum Trident. sess. 25. c. 6. de regular. volentis hac ratione consuli libertati dantium suffragium in omnibus provisionibus Superiorum; adeoque licet Concilium uratur solo nomine electionis, comprehendat tamen illo & postulationem, juxta declarationem S. Congregat. dum interim spectatà lege c. quia propter. electio per compromissum, & per inspirationem non est necessario secreta.

Pass. cit. n. 9.

Questio 206. Quenam forma postulandi sint jure prohibita, ita ut, si sub iis facta sit postulatio, ea ipso jure sit irrita?

Respondeo sequentes: eligo postulando: vel postulo eligendo: eligo postulandum. postulo eligendum: cum nec vera electio, nec vera postulatio iis verbis significetur, quin potius sibi invicem adveniant: Item: eligo in postulandum: postulo in eligendum: cum rem imperfectam significant. Item eligo & postulo, prout melius de jure valere potest; cum incertitudinem contineat, Lot. l. 3. q. 17. n. 228. juxta c. unic. h. t. in 6. ubi expressè memoratæ formæ, factæque sub iis postulationes & electiones declarantur in futurum irritæ, et si aliâ eæ formæ ex natura rei irritæ non sint, neque etiam ante hanc constitutionem lege ullâ Ecclesiasticâ tanquam illegitimæ reprobata, quin potius opinione communi & praxi habitæ pro validis, ut colligitur ex eo, quod c. translationem, de renunc. in principio dicatur: postulandum elegit. gl. in cit. c. unic. v. de cetero Pirh. ad cit. de postul. n. 37. Item ex eo, quod valeat de facto hac forma, dum patronus dicit: eligo Titium in præsentandum, modò conter de voluntate patroni, quod per hanc formam verborum præsentare velit, quia quæ jure canonico statuta sunt de electione & postulatione, extendi non debeant ad præsentationem, utpote modum perveniendi ad prælaturam omnino diversum, Pirh. loc. cit. Item ex eo, quod in aliis causis vel actibus (quod concernit ultimam formam memoratam) quæ inter se oppositionem aliquam habeant, cumulari possint, adjectâ clausulâ: ut actus valeat omni meliore modo, quo valere de jure potest, v. g. in ultimis voluntatibus apponendo hanc clausulam: ut si dispositio non valeat jure testamenti, valeat jure codicilli. l. ult. c. de codicill. Pirh. loc. cit.

Questio 207. An saltem fieri possit postulatio sub dicta forma: eligo & postulo, prout melius de jure valere potest: dum probabiliter dubitatur, an quis sit eligendus, an postulandus?

Respondeo affirmativè, juxta cit. c. unic. & Laym. ibidem n. 3. Pirh. ad tit. de postulat. n. 37. verumque id est, non tantum ubi dubium est facti, v. g. quia nescitur, an assumendum ad Episcopatum compleverit annum 30. ætatis: sed etiam, ubi dubium est juris: cum cit. c. unico. dicatur: nisi quando probabiliter dubitatur; quæ verba proinde restringenda non sunt ad dubium facti; cum etiam probabile dubium super intellectu juris excuset, dum existunt contrariæ DD. opiniones. Pirh. cit. num. 37. ex Franc. in c. illud unic. Pass. loc. cit. quin & ut idem, in dubio tali melius & securius est, dictâ formâ uti, quam absolute aliquem tantum postulare.

2. Porrò sic electus & postulatus necessario determinare debet, num viam electionis, vel postulationis profectui velit, & optione factâ, ad alteram redire non potest. cit. c. unic. & Laym. ibidem n. 3. Expedit enim, ut consensus seu acceptatio non in rem incertam & dubiam, sed certam feratur; & quamvis actus in origine sua à principio institui possit cum incertitudine, debet tamen in executione & prosecutione, antequam perficiatur, certificari. Pirh. loc. cit. cum Franc. loc. cit. n. 2. de quo postremo vide plura infra de confirmatione electionis: ubi ad duplici electione electus profectui possit utramque.